

& ignea talis effervescencia? à sulphure facilimè flammam  
recipiente respondebunt. At unde sulphuris incensio?  
quid sulphur incensum, quod alias aquis etiam ferventissi-  
mis extinguitur, in ipsis aquarum ductibus conservabit?  
quid respondebis de fontibus sulphureis actu frigidis, quo-  
rum non paucos in nostra Germania vulgo notos esse con-  
stat. Hæc & alia hujus generis quidam eludere conantur, *Instantia.*  
dum flammam sulphuris aquis thermarum subjiciunt, sed  
paulo remotiorem, ut aqua tanquam in lebetè per peculia-  
res canales exterius undique Sulphuris igne calefactos ef-  
fervescat. Hoc modo vis aquæ flammam extinguere non  
poterit, etiam si continuo non tantum ab eadem calefiat,  
sed simul etiam materiæ combustibilis qualitates per fu-  
midos vapores inferne exhalantes imbibat. Nec de prima  
Sulphuris accensione dubitandum esse censent, cum spiri-  
tus vel exhalatio terræ cavernis inclusa, dum in locorum  
angustias per antiperistasin frigoris cogitur, aut hac illac  
exitum quærens commoveretur, ob attritum & conflictatio-  
nem ejusmodi facilè accendatur, quandoquidem motus  
non caloris tantum causa est, sed etiam flammæ, cum in  
materiam idoneam incurrit. Quod ipsum *Philosophus lib. 2.*  
*Meteor. cap. 8.* innuit, ignis in terræ cavernis producti non  
aliam esse causam, quam aëream substantiam in minima  
dissectam statuens. Ita sponte nascentium aquarum ratio-  
nem benè constare putabunt: ferventium scilicet ex proxi-  
ma admota ignis vi; modicè calidorum ex remotiori; me-  
tallorum & succorum terrestrium qualitates referentium  
tam de succensa materia per exhalationes communicata,  
quàm per colatione varias metallicorū proprietates imbi-  
bendo. Sed quis nam ejusmodi canales & parietes tanta in *Solvitur in-*  
dustria, soliditate & artificio fabricarit, ut intentioni huic *stantia.*  
inservant, valdè dubium est? & posito, quod singulari pro-  
viden-